



# DE INSCRIPTIONE APOCALYPSEOS IOANNEAE.

## I.



Vltum interest libri alicuius, et argumentum, et auctorem cognoscere. Quodsi enim libri ignores argumentum, uix illum in tuos conuerte-re usus poteris. Auctor uero et si non-nunquam tuto ignoretur, dici tam non potest, quantum certa eius notitia, ad meliorem ipsius libri intelligentiam, et expositionem faciat.

Pridem enim ab illis, qui rationem interpretandi praeiuerunt, monitum est, ut, in explicandis libris, ad studia maxime attendamus, quibus auctor quondam deditus fuit. Taceo, quod ipsismet libris ab auctore dignitas quaedam, eademque non exigua, concilietur. Quae causa est, quam ob rem libris, uoluminibusque, non paucis, uirorum non raro celebratissimorum praefixa sint nomina, cum tamen nihil in se contineant, istis, quae mentiuntur, nominibus dignum.

II. Hinc qui libris sese scribendis accingunt, illi in more plerumque solent habere positum, ut mox, in fronte librorum, suum profiteantur nomen, et, de quo exponunt, argumentum significant. Inde sunt Tituli, Inscriptiones,

A

aut